Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 2123
Quelle:
Copyright:

Pauperum amator clericorum magnus promotor
Pater pupillorum egentium et uiduarum.

Menſe *Auguſto* ad diem 8. minio notatur: *Aduentus ſanguinis chriſti.* Sacrum ejusmodi Κειμηλιον, qualia in pluribus Eccleſiis exhibebantur, *Strigonienſi* etiam illatum memorari cenſeo, quo vero tempore, conſultis variis monumentis non reperi, quamvis etiam in Breviario 1484. impreſſo idem Feſtum occurrat. *Adventum S. Mauritii* in Calendario cuidam Pſalterio praefixo notavi T. praeced. *Cod.* XXXII. (950.) *col.* 75. In margine ejusdem menſis notavit ſubpar manus: *Obiit R. p. et d. dominus Georius de Hochenloch Epiſcopus patav. et etiam Strigon. 1423.* id, quod ad diem 11. refert *Nic. Schmitth* in *Archiepp. Strigon. P. I. p. 238.* ad diem vero 8. *Georg. Pray* in *Hierarch. Hung. P. I. p. 173.* ſecutus *Schritovinum* et Catalogos Epp. *Paſſav.* Breviarium porro ipſum ita coordinatum eſt, ut Pſalmodiae de Tempore ſuccedant: Hymnarium, Officium pro Mortuis, de B. V. Maria, Lectionarium de Tempore, et de Sanctis, primum ſpeciatim, dein in communi. Atque hic in Officio *de vna virgine* Codex abrumpitur. Officia SS. Indigetum *Hungariae* ſuis locis inſerta ſunt.

DCCCLXXXI.

R. 24 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. nunc. 301. f. per duas columnas luculente et eleganter exaratus, picturatusque, ſed temporum injuria initio et fine mulctatus, quin et membranis e medio evulſis Pſalmodiam ſeu *Breviarium Archidioeceſeos Strigonienſis* in *Hungaria* complectitur. Praeit Officium dictum *de Tempore*, ubi *fol.* 20. in *Litaniis* invocantur Sancti Indigetes Regni, oratur pro Archiepiſcopo, Rege et Regina cum Liberis, item: *Ut terram iſtam, et ciuitatem ſanctam ieruſalem ab infeſtatione et poteſtate paganorum cuſtodire digneris.* Unde liquet, precem hanc eo tempore conceptam fuiſſe, quo *Palaeſtina* a Chriſtianis tenebatur. Succedit Officium *pro Defunctis, de B. V. Maria, Hymnarium. Fol.* 188. incipit. *Commune de Sanctis*, ubi rurſus Officia de SS. *Hungariae* Patronis cum ſuis *Lectionibus*, ſed a Feſto *Briccii* Ep. die 13. *Nov.* folia excidere, uno ſolo ſuperſtite, quod Syllabum Sanctorum a *Decembri* ad *Junium* exhibet. In *Hiſpanorum* militum manus incidiſſe *Codicem*, argumento eſt, quod ad oram inferiorem *fol.* 217. p. 2. legitur. *En el caſtillo de Strigonia al VII. dias del mes de Julio de mil y quinientos y ſetes annos, el Sennor Don Luys dela Cueva coronel dela Gente eſpannola del Reyno de Vngria.*

DCCC-